

SECTIO IV.

DE

QUANTITATE MEDICA-
MENTORVM.

§. 130.

Omne
medica-
mentum
habet
quanti-
tatem.

Omnē, quod existit, determinatam habet quantitatem (per princ. philos.). Hinc omne medicamentum determinata quantitate gaudeat necesse est.

§. 131.

Medica-
mentum
absolu-
tum et
relati-
uum ha-
bet
quanti-
tatem.

Omne medicamentum determinatam habet quantitatem §. 130. Iam medicamentum est vel absolutum, vel relatiuum §. 12. Ergo medicamentum, tam absolutum, quam relatiuum, quantitatem habere debet.

§. 132.

Quanti-
tas me-
dica-
menti
absoluti,
qua talis,
est inde-
termina-
ta.

Medicamentum absolutum est, quod sanitati conducere potest, sed in quo modus applicandi non est determinatus §. 12. Quare cum haec notio nihil contineat, quod rationem determinatae cuiusdam quantitatis eius complectatur, quantitas medicamenti absoluti, qua talis, indeterminata est, adeoque, si determinari debet, ex rationibus extrinsecis determinanda.

§. 133.

§. 133.

In medicamento relatiuo modus illud applicandi est determinatus §. 12. Cum vero medicamentum relatiuum applicari nequeat, nisi in determinata quantitate, quae semel est sumenda, haec quantitas etiam ad modum illud applicandi pertinet. Iam modus applicandi in medicamento relatiuo est determinatus §. cit. Ergo in medicamento relativo, qua tali, quantitas eius, quae semel, seu vna vice est sumenda, determinata esse debet.

§. 134.

Quantitas medicamenti relatiui, quae vna vice sumenda est, *dosis* eiusdem vocatur, quantitas vero *dosis* appellatur *moles dosis*.

§. 135.

In medicamento relatiuo quantitas eius, quae vna vice est sumenda, determinata esse debet §. 133. Iam quantitas medicamenti relatiui, quae vna vice sumenda est, dicitur *dosis* §. 134. Ergo in medicamento relatiuo *dosis* eiusdem determinari debet.

§. 136.

Dosis est quantitas medicamenti relatiui, quae vna vice est sumenda §. 134, adeoque est quantitas medicamenti relatiui, quae in eo in relatione ad modum applicandi concipitur. Sed cum omne medicamentum, et absolutum quoque, quantitate gaudeat §. 130. 131, medicamentum relatiuum, qua medicamentum in genere, quantitatem habere debet. Quapro-

E 4

pter

In medicamento relatiuo quantitas eius, quae semel sumenda, determinata esse debet.

Definitio *dosis* et eiusdem molis.

In medicamento relatiuo *dosis* eius determinata esse debet.

Quo respectu quantitas medicamento relatiui competat.

pter quantitas medicamento relatiuo duplici respectu competit, vel in relatione ad modum applicandi, vel non.

§. 137.

Definitio
quantitatis generalis et specialis.

Illa quantitas, quae medicamento in relatione ad modum applicandi competit, dicitur quantitas specialis, haec vero, quae ipsi non competit in relatione ad modum applicandi, quantitas generalis.

§. 138.

Quantitas medicamento relatiui specialis est dosis eius.

Quantitas specialis medicamenti relatiui est illa quantitas, quae medicamento relatiuo in relatione ad modum applicandi competit §. 137. Iam illa quantitas, quae medicamento relatiuo in relatione ad modum applicandi competit, est quantitas medicamenti relatiui, quae vna vice est fumenda §. 133, et haec dicitur dosis §. 134. Ergo quantitas specialis medicamenti relatiui est dosis eiusdem.

§. 139.

Quantitas medicamento absoluti est generalis.

Quantitas medicamenti absoluti est indeterminata §. 132, adeoque ipsi non competit in relatione ad modum applicandi. Iam illa quantitas, quae medicamento non competit in relatione ad modum applicandi, dicitur quantitas generalis §. 137. Ergo quantitas medicamenti absoluti est quantitas generalis.

§. 140.

Quae nam in dosi spectanda veniant.

Quantitas specialis medicamenti relatiui est dosis eiusdem §. 138. In hac duo spectanda veniunt, nimirum 1) ipsius quantitas, 2) nu-

2) numerus, quoties est applicanda. Iam illa dicitur moles dosi §. 134. Ergo circa dosim numerus et moles eius spectanda veniunt.

§. 141.

Molem dosi determinant variae conditiones, vel circa medicamentum adhibendum, vel subiectum, cui applicandum est medicamentum, occurrentes. Hae Medico probe sunt ponderandae, ne excessu vel defectu peccans, remedio etiam apte selecto aut noceat, aut finem, quem intendit, vel plane non, vel saltem non tantum assequatur, quantum desiderat.

Ex quibus modis dosi determinatur.

§. 142.

Moles dosium debent esse proportionatae viribus corporis humani; seu uti sunt vires corporum humanorum, ita quoque debent esse moles dosium, siue vires medicamentorum. Quomocunque enim operentur medicamenta, in vires corporis semper agunt. Maior ergo moles dosi, quam vires corporis admittunt, corpus laedit, et si minor dosi moles est, quam vires corporis requirunt, vis medicamenti non sufficit ad operationem, quae desideratur, edendam, quoniam illa a corporis viribus eneruatur.

Dosi medicamentorum esse debent proportionatae viribus corporis.

§. 143.

Vires corporis humani per omnem aetatem non eandem habent quantitatem, sed pro huius diuersitate sunt vel maiores, vel minores.

E §

res. to virum.

De incremento et decremento virum.

74 PARS I. DE FORMVLIS IN GENERE.

res. A primo conceptionis puncto, quo vere incipit tenellus embryo, et post natiuitatem, eius vires semper crescunt, vsque dum ad vigorem, seu constantem aetatem, peruenerit, tunc aliquamdiu subsistunt, postea vero accedente senio decrescunt. Deinde notamus et illud, vires et robur corporis, quo propius est ortui, eo velocius crescere, et post consistentem aetatem paulatim decrescere. Quae cum ita sint, istum virium progressum nobis possumus concipere tanquam compositum ex incremento et decremento, ita, vt vires crescant et decrescant, ea tamen conditione, vt a primo ortu velocius, deinceps vero tardius paulatim crescant, et contra a primo ortu tardius, deinceps paulatim velocius decrescant.

§. 144.

Quomodo doses aetatibus accommodandae sint.

Cum moles dosum debeant esse vt vires corporum humanorum §. 142, moles dosum, si aetatibus sunt accommodandae, debent eandem, quam vires seruant, progressionem seruire. Non vero licet doses assumere in ratione annorum aetatis, quoniam vires initio velocius crescunt, deinde tardius, post consistent, denique decrescunt §. 143; anni autem aetatis aequabiliter semper crescunt.

§ 145.

§. 145.

Haec, quae de incremento et decre- Scho-
mento virium, ratione aetatis, dixi §. 143, lion.
sunt intelligenda de corporis statu naturali.
Cum vero multae eaeque variae, quamdiu
corpus humanum viuit, in id agant causae,
quae vires eius certae aetati naturaliter pro-
prias mutant, easque vel augeant, vel im-
minuant, patet, vires corporis humani vi-
uentis, si praeternaturales causae in id agunt,
respectu aetatis non eandem, quam descripsi
§. 143, proportionem seruare. Sic e. g. cor-
pus hominis, in quo puero vires solita pro-
portione creuerunt, potest, postquam iuuenis
factus est, a variis causis praeternaturalibus
ita mutari, vt vires in proportionem aetati iu-
venili naturaliter propria non amplius crescant.

§. 146.

Ex his, quae §. 145. dixi, cuius facile Scho-
erit indicatu, quid sentiendum sit de *Domini* lion.
Doctoris THEODORI BALTHASARIS, Me-
dici matheseos perfecte gnari, inuentione,
qua lineae curuae beneficio moles dosium cui-
vis aetati proprias determinauit, et quae in
eiusdem *diatribe de dosibus medicamentorum*,
§. 444. reperitur. Hic considerans ea, quae
de proportionem, qua vires corporis respectu
aetatis crescunt et decrescunt, dicta sunt §. 143,
inuenit exinde algebrae ope curuam, per cu-
ius

ius abscissas aetates, per applicatas vero vires corporis vel, quod perinde est, doses medicamentorum exponuntur, et quae eam habet proprietatem, vt applicatae crescant, et quidem initio velocius, deinde tardius, post maximam vero applicatam paulatim iterum decrescant, dum interim abscissae progressionem numerorum naturalem ferunt. Sed, si meum hac de re ferre licet iudicium, non possum non confiteri, ea, quae Vir modo laudatus de determinanda mole dosium respectu aetatum protulit, non constanter obtinere, et multis obnoxia esse exceptionibus. Ille igitur nec satis prudenter, nec satis sollicitè ageret, qui dosim medicamenti cuiusdam, pro individuo in certa aetate constituto, tantummodo ex linea curua BALTHASARIS determinare vellet, nulla reliquarum circa individuum occurrentium circumstantiarum ratione habita; quemadmodum etiam ille inique ageret, qui determinationem dosium respectu aetatis plane reiicere, eamque in praxi inutilem declarare vellet. Multis rationibus eius utilitatem in praxi comprobare possem, sed sufficiant testimonia Medicorum artis exercitio magnam famam consecutorum, vt celeberrimi GAVBII et IVNCKERI. Ille in libello suo, de *methodo concinnandi formulas medicamentorum* §. 64. γ. inquit: *in determinanda mole doseos aetatis ratio habenda est*; hic autem in *conspectu formularum medicarum* p. 4. doseos

doseos molem pro aetatis ratione determinauit.

Pone itaque, dosin efficacem esse pro homi-
ne consistentis aetatis 1 vel Drachm. i,

sic erunt pro ann. XIV-XXI $\frac{2}{3}$ vel Scrup. ij.

VII - XIV $\frac{1}{2}$ vel Drachm. ss.

IV - VII $\frac{1}{3}$ vel Scrup. j.

IV — — $\frac{1}{4}$ vel Gran. XV.

III — — $\frac{1}{5}$ vel Scrup. ss.

II — — $\frac{1}{8}$ vel Gran. VIII.

I — — $\frac{1}{12}$ vel Gran. V.

§. 147.

Porro in determinanda doseos mole respi-
ciendum est ad dispositionem aegri vel adhi-
bentis singularem primario morbo complica-
tam. Est autem naturalis, vel praeternaturalis,
vel temporaria, vel perpetua, et a conforma-
tione, habitu corporis, sexu, morbis praegres-
sis aliisque causis dependet. Sic nausea iuuat
et promouet vomitum, ideoque nauseabundi,
et quibus alias familiares sunt vomitiones, exi-
gua emeticorum dosi ad vomendum irritantur.
Si adsit dispositio ad diarrhoeam, vel alui lu-
bricitas, ea ipsa quoque promouet medica-
mentorum purgantium operationem. Quan-
do adeit diathesis ad sudorem, sudorifera va-
lidius agunt, quam alias, vbi talis dispositio
abest. Sicubi adfuerit propensio ad somnum,
opiata, papauerina et alia hypnotica, parca
dosi exhibita, somnum facilius inducunt.

Moles
doseos
determi-
natur ex
disposi-
tione
singulari
assu-
mentis.

§. 148.

§. 148.

Moles
dosis
ad idio-
syncra-
siam est
accom-
modan-
da.

Ad idiosyncrasiam insuper adhibentis in determinanda dosis mole est attendendum, qua efficitur, ut in aliquibus quaedam medicamenta neutiquam illum effectum edant, quem alias ordinarie edere solent. Sic repertiuntur, qui pharmacis vomitoriis et purgantibus, etiamsi validiora sint, vel parum vel plane non mouentur; cum contra alios eorum adipectus vel odor moueat. Hic vero caute est procedendum. Nec enim utile est, nec prudenter actum, eo usque augere dosin, quousque ea ad vincendam resistantiam sufficere putatur, sed res potius maiori cum cautione et feliciori successu, stimulorum salinorum additamento, expediri potest.

§. 149.

Consue-
tudo va-
riat mo-
lem do-
sis.

Consuetudo pariter hic locum habet; quum eorum, quibus natura adsuevit, dosis maior plerumque lenius agat, quam minor insuetorum. Sic qui opium saepius in usum vocant, sensim sensimque maiorem eius dosin ferre discunt, atque idem Nicotianae usus exemplo vbiuis obuio commonstrat.

§. 150.

Molis et
tempe-
ramenti
corporis
in deter-
minanda
dosi ra-
tio est
habenda.

Moles pariter corporis, licet viribus non semper sit proportionata, doseos molem nunquam variat. Temperamentum etiam hic limites figit. Cholericus ab eadem medicamenti, quod fortius agit, dosi, quae phlegmaticum vel melancholicum parum mouet, longe

longe maiores, quam horum alteruter, experitur effectus. Des enim cholerico, phlegmatico, vel melancholico, eandem purgantis vel vomitorii quantitatem, et gradu diuerfos secuturos esse effectus deprehendes. Humectantium, refrigerantium, relaxantium maiorem plerumque dosin facile ferunt cholerici et melancholici; laeduntur a minore etiam quantitate contrariorum, quae tamen, maiore licet dosi applicata, phlegmaticis ut plurimum bene conducunt.

§. 151.

Sexus item huc facit. Foeminarum constitutio, quae virorum structura tenerior est, dosin postulat minorem, quin delicatulae paulo maiorem nonnunquam respuunt medicinali quantitatē, si vel maxime necessaria sit. Nec vitae genus plane est praeterendum, utpote quod varias corporibus inducit habitudines, medicamentorum dosin vel maiorem, vel minorem exigentes. Sic victus durus, diu continuatus, ceteris paribus ita mutat corpora, ut longe facilius maiores medicamentorum vehementius operantium doses ferant, quam illa, quae victu molli utuntur.

Sexus et victus in determinanda mole doses sunt considerandi.

§. 152.

Nationes in certo climate habitantes respectu doseos medicamentorum peculiare quidpiam sibi vendicant. Incolae regionum septentrionalium, ut Russi, Sueci, Dani, Norwegi, a medicamentis fortioris operationis diffi-

Clima determinat molem doses.

difficilius mouentur. Exemplo sunt purgantia, vomitoria, aliaque, quae, si debitum exferere debent effectum, his gentibus maiori dosi, quam nostratibus, sunt propinanda. In huius phaenomeni causam, cum spatii angustia non permittat, nec inquiram, nec plura hac de re proferre necessarium existimo, cum ea solidissime pertractata inueniantur in Dissertatione *Illustris Domini BÜCHNERI, de differentis naturarum respectu climatum.*

§. 153.

Anni
tempus
variat
dosi
medica-
mento-
rum.

Neque minus anni tempus in determinanda medicamentorum dosi est spectandum. Ardentior enim Sirius, saeuens gelu, aura temperatior, corpora maiori vel minori medicamentorum dosi ut moueantur, suadeant.

§. 154.

Scho-
lion.

Ex iis, quae hactenus dixi, satis superque apparet, permulta et varia esse, ad quae in determinanda medicamentorum dosi est respiciendum. Equidem non omnia omnino huc pertinentia me attigisse et scio et lubens confiteor, sed spero, neminem a me desideraturum esse, ut ad vnam omnes circumstantias, quarum in determinanda medicamentorum dosi ratio habenda est, hic allegem, nec hoc facere possim, cum plura supersint magis necessaria a me pertractanda. Sufficiat, me attigisse praecipuas et saepissime occurrentes, ex quibus dosi medicamentorum est deter-

minan-

minanda, conditiones, et adhuc reliquas non leuioris momenti esse contemplaturum.

§. 155.

Si quis medicamentorum virtutem ad conditiones, quae in determinanda dosium mole obseruandae, et in antecedentibus probatae sunt, comparat, deprehendet, varias easque nouas iterum occurrere circumstantias, dosin medicamentorum vario modo determinantes, ad quas est respiciendum. Qua de re Medicus, ex arte formulam praescripturus, vſitationum quorumuis medicamentorum, generosiorum inprimis, doses efficaces, per experientiam legitime stabilitas, harumque gradus exacte cognitos et perspectos habeat necesse est. Quod enim si ignorat Medicus, quomodo in casu quodam singulari dosin medicamenti determinare possit, concipi plane nequit. Si qua autem noua, non dum rite explorata, vsurpare ipsi placuerit, illis summa cum prudentia vtatur, ne famae incurrat periculum, hinc solito minori dosi experimentum capiat, eamque, animaduersa eius inertia, circumspecte deinde augeat.

§. 156.

Interdum pretium medicamenti, quod ceteris paribus non adeo magnae efficaciae est, dosin maiorem, quae adhiberi posset, non permittit. Margaritae, gemmae, lapis porci, bezoar, etc. exemplo hic inferuire possunt. Specifica etiam leuitas medicamenti

(*Pars I. de form. in gen.*) F ad-

Medicus
nosse de-
bet do-
ses effi-
caces
medica-
mento-
rum.

Pretium,
specifica
leuitas
et inui-
cunditas
medica-
menti
dosin

eius de-
termi-
nat. adhibendi, quod in maiore tantum dosi adhi-
bitum effectum edit desideratum, de dosi or-
dinaria detrahit, ne eius moles nimia simul
ingerenda nauseam producat. Neque minus
medicamenti adhibendi iniucunditas, ratione
odoris, saporis, vel alterius qualitatis, parci-
orem eius dosin postulat, vti id vsus asae foe-
tidae, castorei, pinguium aliorumque docent.
Suppono hic utique circumstantias, quae re-
quirunt, vt medicamenta modo dicta in ea
vsurpentur forma, qua eorum iniucundae
qualitates non ex parte saltem corrigi, sed
penitus sentiri possunt.

§. 157.

Applica-
tio me-
dica-
mento-
rum de-
terminat
eorum
dosin.

Prout idem medicamentum vel externe,
vel interne applicatur, pro eo etiam eius do-
sis determinatur. Nec deerunt haec cogi-
tantibus exempla illud probantia. Mihi in-
mentem incidunt camphora, crocus, flores
sulphuris, balsamus de copaiua, peruuianus,
Hoffmanni, aliusque liquidus, vsui tam inter-
no quam externo aptus, oleum terebinthinae,
essentia myrrhae, succini, mastiches, balsa-
mi Peruuiani. Haec omnia, supposita re-
spectu quorundam parte, in quam agunt, mi-
nus sensili, si debita cum cautione externe
applicantur, maiorem admittunt dosin, quam
si interne adhibentur. Quid? quod eadem
medicamenta, ea praesertim, quae calidae,
spirituosae ac efficacioris indolis sunt, si ad
diuersas corporis partes externas sunt appli-
canda,

canda, inaequalem exposcunt dosin, minorem, si pars, cui sunt applicanda, magna gaudet sensatione, maiorem, si minus est sensibilis. Nec parum interest discriminis, vtrum laxans, quod aptum esse suppono, vt tam ore assumi, quam clysteris ope corpori ingeri queat, ore hauriatur, an clystere iniiciatur.

§. 158.

Cum Medicus efficaces vſitatorum, generosiorum inprimis medicamentorum doses, per experientiam legitime stabilitas, nosse debeat, si formulam ex arte praescribere vult §. 155, me non inutilem laborem suscepturum esse, quilibet facile iudicare potest, si medicamentorum, quae frequenter adhibentur, et eorum etiam, quae dicuntur heroica, siue generosiora, doses efficaces ordinarias, secundum *illustris* HOFFMANNI, Praeceptoris mei pie defuncti, cuius adhuc cineres veneror, observationes ea, qua ab illo percepi, sinceritate hic tradam. Nec destituor rationibus meum propositum approbantibus, meque determinantibus, cur id hoc potius, nec alio modo prosequar. Partim enim id eam ob causam feci, quoniam dosis medicamentorum ex experientia et observationibus est determinanda, et *illustris* b. m. HOFFMANNVS ex longo, qui ipsi fuit in praxi medica, vsu, amplam sibi comparavit experientiam, ac permultas observationes, partim vero, ne lectores medicamentorum vſitatorum et generosiorum doses

Pertra-
stationis
de dosi-
bus spe-
cialis ra-
tio.

F 2

alibi

alibi frustra quaerant, vel saltem non satis accurate per experientiam stabilitas.

§. 159.

De medica-
mentis
heroicis.

Per heroica, siue generosiora medicamenta, intelliguntur illa, quae in minori dosi adhibita, magnum edunt effectum, atque ad haec a Medicis referuntur purgantia drastica, emetica, opiata, narcotica, ex mercurio praeparata, et alia.

§. 160.

De dosi
emeti-
corum.

Dosis emeticorum

I. Regni vegetabilis, in quo occurrunt radices

- 1) asari, cuius pulvis robustiori corpori non dari debet ultra ʒj. sed saepius dimidia sufficit.
- 2) hellebori albi, cuius extractum propinatur ad ʒj.
- 3) ipecacuanhae, quae datur in puluere a granis XV. ad ʒj - ʒʒ - ʒj.
- 4) squillae, cuius oxymel ab vncia vna pro infantibus praescribitur.

II. Regni mineralis

a) ex antimonio

- 1) tartari emetici ex croco metallorum praeparati, qui in puluere ab octaua grani parte ad 1. 2. 3. 4. grana datur. Infans ab huius tartari emetici grani vnius parte quar-

ta

ta moueri potest. Ille vero tartarus emeticus, qui ex vitro antimonii praeparatur, propter vehementem operationem non amplius nunc vsurpatur. Huius enim granum vnum aequè vehementer agit, ac grana duo vel tria tartari emetici ex croco metallorum confecti.

- 2) *reguli antimonii medicinalis* a granis VI. ad $\mathfrak{z}\mathfrak{ss}$ vel $\mathfrak{z}\mathfrak{j}$.
- 3) *sulphuris antimonii aurati* a granis ij. ad VI.
- 4) *aquae benedictae Rulandi* $\mathfrak{z}\mathfrak{ss}$ - $\mathfrak{z}\mathfrak{j}$.
- 5) *oxysacchari emetici Angeli Salae* $\mathfrak{z}\mathfrak{ij}$ - $\mathfrak{z}\mathfrak{ss}$.
- 6) *oxysacchari emetici Ludouici* $\mathfrak{z}\mathfrak{ij}$ - $\mathfrak{z}\mathfrak{ss}$.
- 7) *sapae vomitoriae Sylui* $\mathfrak{z}\mathfrak{j}$ - $\mathfrak{z}\mathfrak{ss}$.
- 8) *vitri antimonii* a granis ij. ad IV vsque.
- 9) *croci metallorum* a granis ij. ad VI.
- 10) *mercurii vitae* grana ij - iij.
- 11) *infusorum antimoniatorum quorumcunque* $\mathfrak{z}\mathfrak{j}$. Notandum vero, quod vitrum antimonii, crocus metallorum, mercurius vitae, quib. vehementem, quam edunt, emeticam operationem, plane non exhibeantur a Medicis prudentibus, et quod tutius sit, ab illorum vsu plane abstinere. Videatur *Illustris*

*b. m. HOFFMANNVS in Med. Sy-
stemat. Tom. III. Sect. II. cap. V.
p. m. 482.*

b) *Ex mercurio.*

- 1) *turpethi mineralis gr. ij.*
- 2) *auri vitae Kepleri pauca grana.*
Sed haec ex mercurio praeparata vomitoria minus tuta sunt et secu-
ra, ideoque ab eorum vsu absti-
nent Medici prudentes.

§. 161.

De dosi Dosis purgantium drastico-
purgan-
tium
drastico-
rum.

- 1) *bryoniae 3j - 3ij. infusi 3ij. succi 3j.*
- 2) *carthami feminis 3j - 3ij.*
- 3) *cataputiae grana VI.*
- 4) *colocyntidis ʒss, extracti eius grana IV - VI.*
- 5) *elaterii nigri grana XXV. albi gr. j - ij.*
- 6) *ellebori nigri grana iij - IV extracti eius gr. V.*
- 7) *esulae extracti grana ij - iij.*
- 8) *gratiolae herbae infusi ʒss. In substan-
tia datur, teste Excellentissimo b. m.
SCHVLZIO, in thesibus suis de materia
medica p. 158. a scrupulo vno ad drach-
mam vnam.*
- 9) *gummi guttae agranis V. ad XII. Sed
posterior dosis est maxima et quadrat
pro hydropicis, alias grana VI. sufficiunt.*

10) *ia-*

SECT. IV. DE QVANTIT. MEDICAM. 87

- 10) *ialappae resinofae* radices $\mathfrak{zj}$ - $\mathfrak{z}ij$. resinæ eius gr. ij - IV.
- 11) *iridis Florentinae* $\mathfrak{z}\mathfrak{ss}$. Grana ij - IV sufficiunt pro infantibus.
- 12) *iridis nostratis* $\mathfrak{zj}$. infantibus gr. ij - iij.
- 13) *mechoacannæ* $\mathfrak{zj}$ - $\mathfrak{zj}$.
- 14) *soldanellæ* grana XV - $\mathfrak{zj}$. *Excellentissimus* vero b. m. SCHVLZIVS in *the-sibus suis de materia medica* p. 109. asserit : dari puluerem *soldanellæ* ad $\mathfrak{zj}$, eamque pro decocto ad manipulum vnum vel vnciam vnâ præscribi.
- 15) *scammonei* grana XV - $\mathfrak{zj}$. resinæ eius grana ij - IV.
- 16) *turpethi vegetabilis* $\mathfrak{z}\mathfrak{ss}$. resinæ eius $\mathfrak{z}\mathfrak{ss}$ - gr. XV.
- 17) *diagrydii sulphurati* grana IV - $\mathfrak{z}\mathfrak{ss}$.
- 18) *auri fulminantis* gran. j - VI.
- 19) *trochiscorum albandal* gr. ij - iij.

§. 162.

Laxantium dosi largior esse potest. Man- De dosi
na ad tres vncias dari potest, tamarindi in laxan-
decocto ad vncias duas, immo tres, agaricus tium.
in infuso ad drachmam vnâ et dimidiam, rha-
barbarum in puluere a drachma vna vsque ad
drachmam vnâ et dimidiam, in infuso ad
vnciam dimidiam, folia fennæ, quæ raro sub
pulueris forma adhibentur, in infuso a drach-
mis duabus vsque ad vnciam dimidiam pro-
pianantur. Extractum aloës pro dosi vltra scru-
pulum

F 4

pulum

pulum dimidium non est exhibendum, ob vehementem, quem in humoribus, plethoricorum praesertim, concitare solet, orgasmum, et salia neutra, ut tartarus vitriolatus, cremor tartari, sal gemmae, Anglicanum, Ebshamense, Egranum, Sedlicense, Carolinense, digestium Syluii, arcanum duplicatum, borax Veneta, magnesia, etc. si laxandi vel purgandi fine sunt adhibenda, usque ad vnciam vnā praescribi possunt, dummodo sufficiente aquae quantitate diluta fuerint.

§. 163.

De dosi
sudori-
ferorum.

Inter sudorifera indolis efficacioris, quae frequentius usurpantur, eminent spiritus et salia volatilia ex partibus animantium parata, ut spiritus cornu cerui simplex, succinatus, eboris, bezoardicus Russii. Qui si probe praeparati fuerint, sufficiunt pro dosi guttae quadraginta. Salia vero volatilia animantium sudorifera, quorum praecipua et vnitiora sunt, sal volatile cornu cerui et sal volatile oleosum Syluii, longe minorem, si usurpanda sunt, exigunt dosin. Decem enim granorum, vel scrupulus vnus pro dosi, valde movent sudorem, si cum regimine dentur. Oleum cornu cerui, vel oleum tartari foetidum, potentia sunt sudorifera, si soluantur in spiritu vini, ita, ut pro dosi guttae tres vel duae sufficiant. Tincturae sic dictae alexipharmacae et bezoardicae pro dosi ad guttas quinquaginta porriguntur.

§. 164.

§. 164.

Quod attinet ad diuretica iisque ratione De dosi
 dosi vtendi modum, haec multum variat, diureti-
 prout nempe efficacia differunt, et vel mi-
 corum.
 tiora, vel vehementiora in vsum vocantur.
 Ad vehementiora pertinent imprimis cantha-
 rides et millepedes, quae salutarem exserunt,
 in hydropo imprimis et anasarca, efficaciam,
 eorumque pulueres vltra grana duodecim ex-
 hiberi non solent. Tinctura antimonii acris
 sat fortiter etiam vrinam mouet, sufficitque
 eam pro dosi a guttis quadraginta ad quinquaginta,
 cum sufficienti liquido, dare. Varia ex
 lapidibus et conchyliis vsta, validam quoque
 vrinam pellendi facultatem et acrimoniam pos-
 sident, atque ideo non larga dosi praescribun-
 tur. Sumuntur commodè de his grana decem
 cum vehiculo aqueo demulcente, vt sero la-
 ctis, quod omnium optimum hoc sine est ve-
 hiculum. Neque minus oleum destillatum
 iuniperi, terebinthinae, balsami sulphuris, vt
 balsamus sulphuris terebinthinatus, iuniperatus,
 fortiter mouent vrinam, et de his gut-
 tae decem pro vna vice suffeiciunt. Tinctura
 tartari, essentia pimpinellae albae et succi-
 ni, liquor terrae foliatae tartari, quae vsita-
 tiora sunt diuretica, si sub guttarum forma
 sunt adhibenda, pro dosi dantur a guttis
 triginta ad quadraginta, immo vltra.

§. 165.

De dosi
salium.

Salia media, praeter stimulum, quem in partibus solidis efficiunt, et effectus exinde prouenientes, qui in vegetiori eorum actione, motus humorum, secretionum et excretionum augmento, consistunt, fluida viscida et spissa resoluunt atque abstergunt, vnde summa eorum abunde patet utilitas. Diuerso adhiberi possunt scopo, et pro eo etiam eorum dosi variat. Si finis est aluum aperienti, ab vncia dimidia vsque ad vnam adhiberi possunt, alias pro dosi drachma dimidia vel vna sufficit, immo minor interdum quantitas pro vna vice sumenda requiritur, si subiecta sensibilia sunt et spasmodicis obnoxia. Ad salia inprimis alcalina fixa, ex vegetabilibus per incinerationem parata, quod attinet, ad alterandos humores in primis viis maiori vel minori dantur dosi. Si acidorum in primis viis adest abundantia, vt in hypochondriacis, melancholicis, iisque, qui victu vtuntur acido, ea maiori quantitate, vt a drachma dimidia ad vnam, immo vltra, pro accidentium differentia, assumere licet. Si vero ventriculus magna praeditus est sensatione, bilisque iusto maiori in primis viis haeret copia, minori potius quantitate, vt a granis sex vsque ad duodecim, praescribi debent. Si viscera laxa et debilia sunt ac obstructionibus obfessa, vt in cachexia, chlorosi, leucophlegmatia, hydrope eiusque specie, anasarca, aliisque morbis, maiori

maiori etiam quantitate et repetitis vicibus adhiberi possunt.

§. 166.

Nitri vis refrigerans, attenuans, et ex-
cretiones per aluum et vrinam promouens,
spasmos sanguinisque commotiones orgasticas
sedans, satis nota est, ideoque vltiori hic
non eget probatione. Si itaque nitrum sine
aluū aperiendi et vrinam pellendi praescri-
bitur, largior eius potest esse dosi,
quae tamen vltra drachmam dimidiam non est exten-
denda. Alias refrigerandi scopo grana decem,
cum aliis aptis remediis mixta, sufficiunt, sed
opus est continuatione eiusmodi remedii.

§. 167.

Quod attinet ad spiritus acidos minerales
dulcificatos, vt spiritum vitrioli, salis com-
munis et nitri dulcem, fructu suo non desti-
tuuntur, dum appetitum ciborumque diges-
tionem promouent, spasmos demulcent,
quem effectum inprimis spiritus nitri dulcis
edit, atque aestum temperat. A guttis qua-
draginta vsque ad sexaginta possunt exhiberi.

§. 168.

Peruenio nunc ad hypnotica et narcotica,
inter quae opium et ea, quae ex opio prae-
parantur, primas tenent. Horum dosi caute
est determinanda, ne plus damni, quam emo-
lumentum afferant. In iis, in quibus vires lan-
guent, praestat penitus ab iis abstinere. Si
vero necessitas vrget, vt motus et excretio-
nes

De dosi
nitri.De dosi
spiri-
tuum
acido-
rum mi-
nera-
lium.De dosi
hypnoti-
corum
et nar-
coticorum.

nes nimis auctae compescantur, dolores sedentur, somnusque ac placida quies inferatur, opii probe depurati dosi granum dimidium et ad summum vnum transgredi non debet. Neque laudana opiatâ, inprimis valde inspissata, vltra grana quatuor propinare licet, sed praestat semper minorem, quam hanc, praescribere quantitatem, quamvis de laudano liquido Sydenhami guttae decem ad viginti et viginti quinque, vna vice propinentur. Rarius opium solum, sed tutius correctum vsurpatur. Corrigitur vero, vti facile est collectu, cum virtus eius in sistendo motus et sensationes consistat, per ea, quae contrariam possident virtutem, hoc est, quae virtute gaudent motus et sensationes augendi, qualia sunt analeptica, et inter haec praecipue balsamica, purgantia, emetica, diuretica, alexipharmaca et sudorifera. Sic opium in *theriaca Andromachi*, *coelesti*, *mithridatio*, *electuario diascordio Fracastorii*, corrigitur additamento balsamicorum, sic dictorum alexipharmacorum, et carminatiuorum, in *pilulis Starckeyanis polychrestis* per purgantia et diuretica, in *pilulis Wildegansii* per emetica et balsamica, in *pilulis de cynoglossa* per aromatica.

§. 169.

Continuatio
de dosi
opiatorum.

Pilulae Wildegansii numero tres, quatuor, vel quinque, pro dosi sufficiunt, et *Starckeyanae* identidem ad grana octo vel decem vsur-

vsurpantur. *Electuarium diascordium Fracastorii*, *mithridatium*, *theriaca Andromachi*, ad drachmam dimidiam, immo et paulo ultra in robustioribus licet offerre. Mitiora vero anodyna, qualia sunt ea, quae ex papavere albo et nigro parantur, liberaliori adhibentur quantitate. Sic semen papaveris albi et nigri in emulsionibus a drachma vna ad duas pro dosi exhibere licet. *Crocus*, qui etiam virtute anodyna et sopiente gaudet, atque in pectoris affectibus non contemnendam praestatur utilitatem, in pulvere ad grana sex et octo dari potest, in extracto a tribus granis usque ad quatuor. *Pilularum de styrace*, ad tussim sedandam aliasque catarrhales molestias curandas, *de cynoglossa* ad moderandas nimias sanguinis fluxiones, usus nostro tempore est crebrior, sed earum etiam dosin moderari convenit. *Massa* enim *pilularum de cynoglossa*, praeter opium, semen etiam hyoscyami, narcoticae virtutis, complectitur, hinc eas rarius et non nisi ad grana duo vel tria pro vna dosi praescribere convenit; sciendum tamen, alios eas ad scrupulum dimidium propinare. Idem sentiendum est de pilulis de styrace. Sunt enim itidem valde opiatæ, ita ut in quolibet scrupulo duo grana opii contineantur, quare ultra dimidium scrupulum progredi non licet.

§. 170.

De dosi
roboran-
tium.

Inter roborantia maxime eminent cortex chinae, cascarillae, et quae ex ferro praeparantur, et neminem fore dubito, qui non necessarium existimet, vt conueniens eorum dosis quoque determinetur, praesertim cum cortex chinae, rite adhibitus, primum inter specifica antifebrilia occupet locum, cortex vero cascarillae, legitime vsurpatus, egregia et singulari efficacia in sistendis excretionibus nimis se commendet, et martialia prudenter applicata, in curatione morborum a partium solidarum laxitate et debilitate prouenientium, vt cachexiae, chlorosis, leucophlegmatiae morbiq; hypochondriaci, et excretionibus nimis auctis moderandis, optimum exferant effectum. Cortex chinae, si in puluere adhibetur, sufficit eius drachma dimidia pro vna vice, sed repetatur necesse est; alias dosis eius vsque ad drachmam integram extendi potest. Cortex vero cascarillae, vtpote qui cum cortice chinae eandem, sed validiorem possidet virtutem, minori quantitate adhiberi debet, et in substantia a granis decem ad scrupulum vnum, in essentia a guttis viginti ad quadraginta, in extracto a granis duobus ad grana quinque et sex, dari potest.

§. 171.

De dosi
medica-
mento-
rum
martialium.

Martialium dosin difficilius quidem licet determinare, quoniam medicamenta, quae ex marte conficiuntur, vario modo praeparantur, vti

vti ex multis iisque admodum diuersis medicamentorum martialium praeparationibus et compositionibus, in libris passim exstantibus, satis superque apparet; in genere tamen hoc est notandum, quod ea, quae aliis magis sunt concentrata, vique adstringendi maiore praedita, minori sint propinanda dosi, et quod plerique celeberrimi Medici, in artis exercitio versati, eorum doses sequenti modo determinent. *Illustris b. m. HOFFMANNVS* crocum martis tenuissimum, et limaturam martis in subtilissimum pollinem redactam, commode ad grana decem pro vna vice dari posse asserit; *STAHLIVS* vero, teste *excellentissimo b. m. SCHVLZIO*, in *thesibus suis de materia medica* p. 90. crocum suum martis aperituum a granis duobus vsque ad sex grana exhibendum suadet. *Tinctura martis Zwelfferi*, siue *tinctura martis cum arcano tartari*, affirmante id eodem loco Viro modo laudato, a guttis quadraginta vsque ad drachmas tres ab ipso Zwelffero commendatur, *tincturae vero martis Zwelfferi ex croco* dosis minor est, eaque ultra drachmam vnā non datur. *Tincturae martis tartarizatae Ludouici*, *tincturae martis cum succo pomorum Borsdorffiorum*, nec non *tincturae martis vitriolatae* dosis, ex eiusdem viri testimonio, est drachma vna ad duas. *Elixir martis balsamicum*, ad mentem beati *HOFFMANNI* praeparatum, ab illo ad guttas triginta et quadraginta praescribitur, et idem, quantum

tum mihi saltem constat, tindurae modo adductae martiales longe minori, quam ea, quae a beato SCHVLZIO determinata fuit, quantitate vt exhibeantur, suadet, nec, vt mihi videtur, sine ratione.

§. 172.

De dosi
camphorae.

Restat adhuc aliquid dicere de dosi camphorae, remedii in inflammationibus discutiendis, febribus contagiosis, malignis, putridis, praestantissimi. Paucis multa de eius effectu salutari dixi, et qui plura de hoc legere cupit, illa inueniet in eleganti dissertatione beati HOFFMANNI, mei olim Praeceptoris maximopere colendi, *de camphorae usu interno securissimo et praestantissimo*, in *Operibus eius medicis varii argumenti* iterum recusa. Hic vir celeberrimus, qui in adhibendis remediis admodum sollicitus fuit ac prudens, camphoram raro solam interne, sed cum nitro mixtam exhibendam iussit, eiusque granum vnum, vel duo, pro vna dosi sufficere obferuauit.

§. 173.

De dosi
mercurialium.

Inter mercurialia, quae interne saluationem mouendi sine dantur, tutissimum ac optimum est mercurius dulcis, probe per decoctionem iteratam a reliquis mercurii sublimati virulentis particulis depuratus. Prima vice ultra grana sex pro dosi offerri non solet, augendo circa alterum diem hanc dosin ad duo vel tria grana, et paulatim ita ascendendo, donec

donec ad drachmam dimidiam peruentum sit, et saluæ oriatur fluxus. Turpethum minerale, arcanum corallinum, quod alias mercurii præcipitati rubri nomine venit, mercurius præcipitatus albus, si scopo saluæ fluxum promouendi dantur, longe minori sunt exhibenda quantitate et sufficiunt pro dosi grana duo. Haec enim præparata, propter particulas salinas concentratas iis adhaerentes, drasticae sunt virtutis, ita, vt maiori dosi vomitum et alui fluxum cum torminibus, vel horum alterutrum, concitent. Mercurium vero viuum nonnulli non sine fructu ad passionem iliacam periculi plenam curandam adhibent, neque eius vsus tunc est reprehendendus, si ileus oritur a fecibus alui induratis, intestina in loco quodam obstipantibus, vel ab intestinis conuolutis et se mutuo ingressis. Quod si itaque, circumstantiis probe exploratis, mercurii viui vsus ad hunc finem utilis ac necessarius iudicatur, prius probe depurandus, lavandus et per corium traiciendus est, neque facile ultra libram dimidiam vel integram offerendus, quod optime fit cum iusculo pingui. Valde vero cauendum est, ne quis eo inflammatione praesente et viribus aegri iam deiectis vtatur.

§. 174.

Quantitas medicamenti relatiui, quae vna vice sumenda, est ita comparata, vt vel saluo medicamento effectu variari queat, vel non. (Pars I. de form. in gen.) G iam

Quantitas medicamenti

vna vice iam dosiſ eſt quantitas medicamenti relatiui, ſumenda quae vna vice eſt ſumenda §. 13. Ergo doſiſ ita comparata ſit neceſſe eſt, vt vel ſaluo medicamenti effectũ, qui intenditur, variari queat, vel non.

§. 175.

Defini- Dosiſ medicamenti, quae ſaluo medica-
tio do- menti effectũ, qui intenditur, mutari poteſt,
ſeos ar- dicitur arbitraria, ea contra, quae ſaluo me-
bitrariae dicamenti effectũ, qui intenditur, variari ne-
et defi- quit, appellatur doſiſ definita, ſiue definienda.
nitae. Pater ergo, doſin medicamenti eſſe vel
arbitrariam, vel definitam, ſiue definiendam
§. 174.

§. 176.

Dosiſ ar- Quantitas medicamenti vna vice ſumenda,
bitraria quae variari poteſt, vel poteſt augeri, vel mi-
poteſt nuui. Iam doſiſ medicamenti arbitraria eſt
vel au- quantitas, quae variari poteſt §. 175. Ergo
geri, vel doſiſ medicamenti arbitraria poteſt vel augeri,
minui. vel minui.

§. 177.

Quando Si doſiſ medicamenti ita eſt comparata,
doſiſ vt vel exceſſu, vel defectũ peccans, damnum
medica- producat, definita eſſe debet, ſiue eſt defi-
menti nienda. Cum enim ſiſ medicamenti ſit ſa-
definita nitas, medicamentum tanquam medium ad
eſſe de- hunc finem non niſi in ea quantitate eſt adhi-
beat. bendum, quae eidem conueniens eſt. Iam
ponas, hanc quantitatem non eſſe niſi vnicam.
Quare, ſi plus minusue ea ſumatur, ſeu, ſi
ex-

excessu vel defectu peccetur, Medicus finem desideratum non obtinebit. Quapropter, cum tamen medicamentum medium ad eum finem assequendum esse debeat (per demonstr.), Medicus etiam hanc vnicam quantitatem indigere debet, seu dosi debet esse definita §. 175.

§. 178.

Quod dosi medicamenti, excessu vel defectu peccans, damnum producere possit, res est experientiae testimonio satis superque confirmata. Sic dosi medicamenti excessu peccat, quando exinde nimia sequitur operatio, vel a copia medicamenti natura obruitur viresque eius prosteruntur. Defectu vero ratione doseos peccat medicamentum, dum non sufficit morbo debellando, sed potius permittit, ut vel in statione sua contumaciter maneat, vel maiores vires indulgendo acquirat.

§. 179.

Cum dosi medicamenti, si ita est comparata, ut vel excessu, vel defectu peccans damnum producat, definita esse debeat §. 177, sequitur, ut dosi medicamenti, si ita est comparata, ut vel excessu, vel defectu peccans nullum inferat damnum, non sit definita, sed saluo medicamenti effectu variari possit, adeoque sit arbitraria §. 175. Patet ergo, dosi medicamenti arbitrariae tunc esse locum, Quando dosi arbitrariae locus sit.

G 1

quan-

quando ex eius excessu vel defectu nullum oritur damnum.

§. 180.

Quae-
nam me-
dica-
menta
dosi ad-
hibean-
tur arbi-
traria.

Doses vehiculorum, in quibus medica-
menta assumuntur, item ipsorum medicamen-
torum, quae ad cibi et potus indolem et sua-
vitatem propius accedunt, vti decoctorum,
ptisanarum, iusculorum, iuleporum, morsu-
lorum iucundorum, ita sunt comparatae, vt ex
earum defectu vel excessu nullum, vel non nota-
bile saltem, oriatur damnum. Iam medicamen-
ta adhibere licet dosi arbitraria, quorum ex-
cessus vel defectus nullum infert damnum § 179.
Quid igitur mirum est, vehicula et medica-
menta ad cibi et potus naturam et gratiam ac-
cedentia et a me recensita, dosin admittere ar-
bitrariam. Eodem modo facile demonstrari
potest, etiam ea dosin admittere arbitrariam,
quae varias ob causas medicamentis sunt ad-
miscenda, ita tamen, vt virtutem eorum nec
augeant, nec imminuant, vel saltem admo-
dum parum.

§. 181.

Conful-
tum est,
vt dosis
medica-
mento-
rum ar-
bitraria,
quamuis
non ad-
eo stri-

Licet vero in arbitrio applicantis medica-
mentum positum sit, quantum de medicamen-
tis, dosin arbitrariam admittentibus, adhibere
velit, consultius tamen est, vt etiam hoc in
casu Medicus, quamuis non adeo stricte, de-
terminet dosin. Metuendum enim est, ne,
si aeger medicamenta fastidiat, ea plane omit-
tat, vel nimis parua in quantitate ea assumat,
vel,

vel, si palato arrideant, in nimia quantitate esse de-
adhibeat. terminetur.

§. 182.

A multis quidem causis vires medicamen- Doses
torum eiusdem speciei immutantur, et vel au- ordina-
gentur, vel imminuuntur, eamque ob ratio- riae me-
nem iis diuersae a diuersis assignantur doses; dica-
nihilominus tamen in specie medicamentis, mento-
vbi id a me iam factum fuit in antecedentibus, rum
constituendae sunt certae doses, rationi con- termi-
formes et vsu comprobatae, quae illis con- nandae.
venient in eo statu virtutis, in quo ordinarie
constituta deprehenduntur, hominique adul-
to, in aetatis vigore constituto, competunt.
Tales doses vocantur *ordinariae*. Ego in an-
tecedentibus earum iam feci mentionem, ideo
non plura addam.

§. 183.

Quantitas potest augeri et minui (per princ. Dosis
mathem.). Si augetur quantitas, illa augeri potest
potest vel per additionem, vel per multiplic- augeri
tionem; si vero minuitur, illa minuitur vel vel mi-
per subtractionem, vel per diuisionem (per nu-
princ. mathem.). Iam dosis est quantitas §. 134.
Ergo dosis potest vel augeri, vel minui, et si
augetur, illud fit vel per additionem, vel per
multiplicationem, si vero minuitur, illud fit
vel per subtractionem, vel diuisionem.

G 3

§. 184.

§. 184.

Quantitas medicinali relatiui generalis tot doses continere debet, quot ad finem suum necessarias iudicat Medicus.

Medicamentum relatiuum est medium ad finem desideratum obtinendum. Quare cum medium rationem sufficientem finis in se continere debeat (per princ. philos.), quantitas medicamenti relatiui tanta esse debet, quanta ad hunc finem requiritur. Et cum doses sint partes quantitatis generalis medicamenti relatiui, et quantitas generalis ex tot partibus constare debeat, quot ad finem datum necessariae sunt, tot etiam doses contineat necesse est, quot ad finem suum necessarias existimat Medicus.

§. 185.

Quantitates generales medicamentorum relatiuorum sunt in ratione molium et numerorum dosium composita. Cum enim quantitates generales medicamentorum relatiuorum tot doses continere debeant, quot ad finem datum sunt necessariae §. 184, numerum determinatum dosium determinatae cuiusdam molis complectuntur, et sunt ergo vt facta numerorum dosium in moles earundem. Quare cum facta sint in ratione factorum composita, (per princ. arithm.) quantitates generales medicamentorum relatiuorum sunt in ratione molium et numerorum dosium composita.

Quantitates generales medicamentorum relatiuorum sunt in ratione molium et numerorum dosium composita. Cum enim quantitates generales medicamentorum relatiuorum tot doses continere debeant, quot ad finem datum sunt necessariae §. 184, numerum determinatum dosium determinatae cuiusdam molis complectuntur, et sunt ergo vt facta numerorum dosium in moles earundem. Quare cum facta sint in ratione factorum composita, (per princ. arithm.) quantitates generales medicamentorum relatiuorum sunt in ratione molium et numerorum dosium composita.

§. 186.

§. 186.

Cum quantitates generales medicamen- Corolla-
torum relatiuorum sint in ratione molium rium.
et numerorum dosium composita §. 185, se-
quitur, vt, si molem doseos in numerum
eius ducas, quantitas medicamenti relatiui
generalis prodeat. Et sic habemus modum,
ex quantitate speciali medicamenti relatiui,
vtpote quae dosis est §. 138, inueniendi quan-
titem generalem. Patet porro ex dictis
§. 185, quod numerus dosium inueniatur,
si quantitas generalis medicamenti relatiui di-
uidatur per molem, moles vero doseos prod-
eat, si eadem quantitas generalis per nume-
rum dosium diuidatur, atque sic exinde in-
fertur, quantitatem generalem eandem esse
cum quantitate speciali, siue dosi, si numerus
eius est vnitatis, contra vero ad eandem esse in
genere in ratione multipla, et ad minimum tri-
dupla, si numerus dosium vnitatem excedit.

§. 187.

Quoniam haec, quae demonstraui §. 185. Scho-
186, quibusdam allatis exemplis faciliora fo- lion.
re conceptu mihi persuadeo, ne quid omit-
tere videar, quod ad eorum clariorem expli-
cationem aliquid facere possit, ea, quae vl-
teriori eorum illustrationi inseruiunt, huc
apponam atque ad ea attendi velim. Quan-
titas medicamenti relatiui generalis, mo-
les et numerus dosium, sunt tres quantitates,
quarum duae posteriores determinant prio-
rem,

rem, nimirum quantitatem generalem. Haec est factum, moles vero et numerus dosium sunt factores. Iam ex datis factoribus inuenitur factum per eorum multiplicationem (per princ. arithm.). Ideo quantitas generalis, utpote quae est factum, prodeat necesse est, si moles et numerus dosium, quippe quae sunt factores, multiplicantur. Docet porro arithmetica, ex dato facto et factore diuisionis ope alterum inueniri factorem. Qua de re ex data quantitate medicamenti generali, utpote facto, et mole doseos, quippe factore, si illa per hunc diuidatur, inueniatur numerus dosium necesse est, moles vero, si eadem quantitas generalis diuidatur per numerum doseos. Sit v. g. numerus dosium $= 4$
 moles dosis $= 3$,
 quantitas medicamenti relatiui generalis
 erit $= 12$.

Maneant hae quantitates eadem, et prodit numerus dosium $= 4$,
 si quantitas generalis $= 12$ diuidatur per molem $= 3$, moles contra dosis $= 3$, si eadem quantitas generalis diuidatur per numerum dosis $= 4$.

§. 188.

Scho-
lion.

Facile vero patet, supponi in demonstratione § 185. medicamentum relatiuum ita esse comparatum, ut in sufficiente quantitate simul et semel praeparari queat. Quodsi enim hoc singulares circumstantiae in casu obuiio dissuadeant,

SECT. IV. DE QVANTIT. MEDICAM. ICS

deant, quantitas medicamenti relatiui generalis, semel praeparanda, hoc modo determinari nequit, sed tunc ad conditiones has singulares est respiciendum.

§. 189.

Numerus dosium est vel simplex, vel multiplex, quandoque arbitrarius. In genere quidem determinari nequit, quinam dosium numerus in casu quouis singulari locum habeat, vtpote cuius determinatio a variis iisque infinitis in eo occurrentibus circumstantiis dependet; interea tamen certae abstractionis ope inueniri possunt regulae prudentiae a Medico circa numerum dosium probe obseruandae, eundemque determinantes. Nihil mihi facilius esset, quam demonstrationem harum regularum prudentiae dare, eamque simul hic subiungere, sed, ne demonstrandi pruritu vexari videar, eas sine demonstratione eo, quo a celeberrimo GAVRIO in libro eius saepius citato traditae fuerunt, ordine hic apponam.

De numero dosium pertractatio.

§. 190.

Si dosi vnica scopo Medici sufficit, non opus est pluribus.

Regula prima.

§. 191.

Si remedium est iniucundum, ita, vt vel sine molestia aegro applicari nequeat, vel aeger in eo adhibendo tardus sit et difficilis, doses, quantum potes, paucissimas praescribe.

Regula secunda.

G 5

§. 192.

§. 192.

Regula
tertia.

Medicamenta, quae mora facile virtutem suam amittunt et corrumpuntur, vti sunt ea, quae facile exhalant, liquefcunt, nimis arefcunt, parciore praefcribantur dofi. Aëris temperies aliaeque circumftantiae, vitia modo dicta magis minusue promouentes, fpecialius dofium numerum hoc in cafu determinant.

§. 193.

Regula
quarta.

Si dofis medicamenti efficax mole maior eft, quam vt vna vice commodè applicari queat, expedit, fi per alia licet, eam in plures dofes minores, per interualla adfumendas, diuidere, ne applicanti moleftia, et vel naufea, vel vomitus excitetur, id quod in procliui- bus ad vomitum praecipue obferuandum efle iam dixi §. 147.

§. 194.

Regula
quinta.

Si dofim efficacem ordinariam medica- menti heroici adhibere velis et debeas, nec tamen eius, cui eft applicanda, naturae et idiofyncrafiæ, aliarumque fcitu neceffariarum circumftantiarum, probe es gnarus, confultius eft, dofim efficacem vel per fubtractionem, vel per diuifionem minuere minoresque dofes partitis vicibus dare. Idem circa vfum nouorum, et adhuc vfui non fatis probatorum remediorum obtinere, iam monui fupra §. 155.

§. 195.

§. 195.

Si incognita, vel dubia morbi indoles in- Regula
sexta.
certum facit remedii effectum, quod Medi-
cus, ne artis suae prodere imperfectionem,
vel aegrum deferere, et de eius salute despe-
rare videatur, interdum praescribere cogitur,
non multae saltem praescribantur doses; mi-
nus enim sic aegro molestus est et facilius in-
super, si opus est, medicamentum mutare
potest.

§. 196.

Quae sine maiori, difficiliori et longio- Regula
septima.
ri opera praeparari nequeunt medicamenta,
ad plures doses, nisi aliud quid obstat, prae-
scribe; vt parcas pharmacopoei operae ni-
mium saepe pretiosae. Immo ea etiam, quae
peregre mittuntur, ad loca pharmacopoliis be-
ne instructis destituta, si per alia licet, ma-
iori quantitate vt praeparentur, curandum est.

§. 197.

Contra, si Medicus aegro est proximus, Regula
eumque frequenter visitare cogitur, dosum octava,
numerum contrahat, ne crebrius sine data
praescriptione abeat; id quod aliquibus mi-
nus est acceptum.

§. 198.

§. 198.

Regula
nona.

Vbi diu continuandus eiusdem remedii
vſus requiritur, in tot, quot neceſſariae ſunt,
doſibus praeparandum cura. Saepius enim
parſimonia emti tuadet vſum, vix, praecipue
ſi faſtidio iungitur, ad noui emtionem com-
puliura. Et itidem multiplicandae ſunt do-
ſes, ſi per breuia interualla medicamentum
eſt adhibendum, ne iteratae praeparationis
neceſſitas ſit moleſta.

§. 199.

Regula
decima.

Denique, ſi medicamentum eſt varian-
dum, quod ex aegrorum culpa, eorum in-
primis, qui morbo laborant chronico, ple-
rumque fit, vel indicationes, aliaeque cauſae
requirunt, minorem eius praefcribere quantita-
tem, vt eo crebrius, quando neceſſarium
eſt, et leuiore ſumtu, variare
poſſis.



SECTIO